

52979,

I. N. 7.

3.

COLLEGII ETHICI

DISPUTATIO QUINTA

DE

FORTITUDINE

TEMPERANTIA

LIBERALITATE

ET

MAGNIFICENTIA

QVAM

PRÆSIDE

M. DAVIDE CASPARI

Diac. Petr. P. P. & Inspect.

ventilandam proponit


ANDREAS von Tieffenbrock

Rigenlis

IN GYMNASIO RIGENSI

ad diem XIX Martij

Horis à IXna matutinis.



R I G Æ

Typis BESSEMESSERIANIS

ANNO M. DC. LXXXIV.

A 5075.2

VIRIS

*Admodum Reverendis Amplissimis Clarissimis Consultis-
simo Spectatissimis*

DNO. M. JOHANNI BREVERO

Pastori Primario & S. S. Theologiæ

DNO. M. DAVIDI CASPARI

Diac. Petr. Inspectori & Philosophiæ

DNO. M. HENNINGO WITTE

Eloquentiæ & Historiarum

DNO. JOACHIMO FRISICH

Juris & Matheos

PROFESSORIBUS

MERITISSIMO

DIGNISSIMIS

Est. A

Theses hæc morales
in scribit

Tertu R. ...
E. ...

9129

gratus Auditor

ANDREAS à Tieffenbroff.



*Ab*olutâ generali virtutis moralis ratione, nunc ad species illi subjectas pergendum est: nam & harum accuratior pertractatio facit ad intelligendam virtutem perfectam in Definitione Summi Boni. Quot verò virtutis moralis species constituenda sint? hodiernum disceptatur. Aristoteles Lib. II. Ethic. Cap. VII. Undecim numerabat: Fortitudinem, Temperantiam, Liberalitatem, Magnificentiam, Magnanimitatem, Modestiam, Mansuetudinem, Humanitatem, Veritatem, Urbanitatem & Justitiam. Atq; hoc numerò stare tutò possumus: neq; enim justo minor est; cum nulla virtus civilis reperiatur, præter has: nec justo major; cum omnes hic recensita specie differant. Authores Ethicæ, ut vocant, Christianæ Pietatem, beneficentiam, misericordiam & similes habitus ab Aristot. hic omisso, queruntur: quibus quomodo occurrendum sit, Hornejus Phil. Mor. Lib. III. Cap. II. §. 10. & Liebenthal Coll. Eth. Disp. IV. Quæst. X. dudum docuere, quos videsis.

II.

Quid esse verò causæ putemus, cur Arist. de singulis virtutibus disputaturus, à fortitudine potissimum exordiat? Non videtur propter ipsius fortitudinis præstantiam factum esse. Si enim Philosophus, in digerendis virtutibus, earum dignitatem secutus esset, prius atq; disputasset de Dianoëticis, quam Ethicis, atq; inter has principem dedisset locum non fortitudini, sed justitiæ. Nec ea hujus ordinis causa est, quod notissima nobis sint ea, in quibus versatur fortitudo. Cum enim in voluptatibus Temperantia, in periculis bellicis fortitudo cernatur, quis est, qui non videat, multis partibus notiores nobis esse voluptates, quam belli pericula? Alii id factum putant, quòd fortitudo in rebus difficilioribus elaboret. At, eò ipsò postponenda fuisset, quia à facilioribus inchoandum. Cæterum, sicut Arist. virtutes prius Ethicas, quam Dianoëticas persequitur, quòd illæ his ad intelligendum faciliores sint; ita, cum Ethicarum aliæ magis circa affectus versentur, aliæ circa actiones, sintq; affectus priores actionibus, prius eas, quæ ad affectus pertinerent,

sibi expendendas duxit. Harum autem duæ sunt: Fortitudo & Temperantia; in quibus rationem ordinis anxie inquirere, super-
 vacaneum est. Aristoteles communi hominum iudicio tribuisse ali-
 quid videtur, quando primum fortitudini locum dedit. Forte et-
 iam rationem habuit Alexandri Magni, discipuli, qui hac virtute
 potissimum delectabatur. Salsè Muretus Com. in Lib. III. Eth.
 Cap. VI. Si quis, ait, Platonem secutus, Temperantiam For-
 titudini anteponi debuisse contendat, utemur eodem re-
 sponso, quo olim pictor quidam usus esse, perhibetur, qui,
 conductus, ut equum currentem pingeret, cum eum pinxis-
 set in pulvere se volutantem, ob eamque rem à conductore
 increparetur: Inverte, inquit, Tabulam; mox enim cur-
 rentem videbis: ita cum nos jubebimus duarum virtutum ordi-
 nem intervertere.

III.

Est autem Fortitudo Virtus circa metum & fiduciam. Lib.
 II. Eth. Cap. VII. & III. Cap. VI. Communiter Definitio sic forma-
 ri solet: Fortitudo est Virtus servans mediocritatem circa metum
 & fiduciam. Verùm hæc verba: Servans mediocritatem, sunt
 superflua, adeoq; τωτολογίαν faciunt. Virtus enim in suo primo
 conceptu importat τὸ servare mediocritatem, & servare mediocri-
 tatem importat virtutem, unde altero horum opus haut est. Vel i-
 gitur dicendum: Fortitudo est virtus circa metum & fiduciam;
 vel dicendum: Fortitudo est habitus in mediocritate consistens circa
 metum & fiduciam. Et hoc observandum circa singularum vir-
 tutum Definitiones. Cum autem Φοβερὰ, quippe difficiliora, magis
 ad fortitudinem pertineant, quàm τάρταρα, ut Arist. Lib. III. Eth.
 Cap. IX. fusè monstrat; illa quidem enodanda erunt maximè. Me-
 tuuntur vulgo, quæ mala sunt: nec tamen omne malorum Genus
 fortitudini objicitur. Sunt enim, quæ non metuere, turpe est omni-
 no, ut infamiam: sunt alia, quæ, si culpâ vacent, a quo animo fe-
 renda sunt quidem, verùm tamen nec talia fortitudinis objecta sunt
 propriè; paupertatem enim & morbos prodigi, plagas nequam Ser-
 vi non metuunt, nec tamen propterea fortes sunt. Sunt deniq; ter-
 ribilia
 ribilia

ribilia quaedam ὑπὲρ ἀνθρώπων, super hominis virtutem & constantiam posita; ut, terra motus, inundationes, portenta, demonum illusiones &c. quæ, quia nullo humano consilio averti aut evitari possunt, majoraq; sunt, quam ut ab humana natura contemnantur, rectè etiam à viro forti metuuntur.

IV.

Proprium ergo Fortitudinis objectum erunt mala κατ' ἀνθρώπων, ita terribilia & difficilia, ut tamen virtutem & constantiam hominis non superent, quanquam difficillima & terribilissima in hoc genere. Cujusmodi maximè est mors obeunda: non naturalis, non fortuita, non inhonesta, sed honesta bellica, pro patria. Conf. Arist. Cap. VI. Quamvis enim & bellicam mortem vir fortis ut homo pertimescat, recto tamen cum judicio adit, & solius honestatis gratia perfert. Cap. VII. Qui verò à fortitudine declinant; vel in excessum prolabantur, qui est Audacia, vel in defectum, qui est Timiditas. Illa est nimia in periculis subeundis, ex arrogantia quaedam, sine ratione confidentia: quò etiam spectat insana illa Celta- rum, adversum fluctus armis pugnantium, ἀφοβία. Cap. VII. Hæc est, quâ quis in metuendo exsuperat, in confidendo autem deficit. Interea cum Philosopho l. c. concludimus: ἀτόξεος minime fortes habendos esse. Neq; enim mortem eligunt modo & tempore, quo & quando debebant; nec honestatis gratiâ moriuntur; sed ex impatientia & desperatione, quod non est viri fortis, sed timidi. Conf. in hanc Quaestion. ex veteribus Joseph. Lib. III. de Bell. Jud. Cap. XIV. ex Recentioribus autem Scheurl. Phil. Mor. Diss. XV. §. XVI. seqq.

V.

Temperantia Lib. II. Eth. VII. & Lib. III. Cap. X. definitur virtus circa voluptates & dolores; minus tamen circa dolores. Vicissim enim circa difficiliora virtus est: at voluptatibus resistere longè est difficilius, quam moderatè dolores, propter voluptatis absenti- am, perferre. Sunt autem duplices voluptates: alia animi, corporis alia. Illas non temperat Temperantiâ, etiamsi omnes non probentur. In corporis igitur voluptatibus occupata erit; sed neq; in hisce omni- bus, cum & ipse sint diverse. Nam quas vel visu, vel auditu, vel

olfactu percipimus, ea non sunt objectum Temperantiae: siquidem nemo propter eas proprie & per se temperans vel intemperans dicitur. Neg, enim, qui vel aspectu elegantium picturarum, vel auditione suavissima cantilena, vel odore rerum suaveolentium delectantur, intemperantes appellantur, nisi per accidens, & quatenus memoriam aut imaginationem aliarum voluptatum exhibent. Accedit, quod Temperantia & intemperantia in hujusmodi voluptatibus vertantur, quae nobis communes sunt cum brutis: at ex recensitis hisce voluptatem vel non percipere, vel vix percipere bruta, patet. Tactus igitur & Gustus voluptates moderabitur Temperantia: sed ne sic quidem ex aequo omnes. Nam circa gustus voluptates non magnopere occupatur; Saporibus quippe non tam capitur intemperans, quam ipsa alimenti perceptione, quae tactu fit, Maxime igitur & pene sola voluptas Tactus est objectum Temperantiae. Nec tamen & omnis ista: quae enim ad totum corpus attinet, ut, quae ex frictione in balneis, calefactione tempore hyberno, aut re simili percipitur, excepta est; cum hominis intemperantis tactus non sit per totum corpus, sed certis partibus circumscribatur, gula scilicet & iis organis, unde, ut castissime loquitur Varro, principium existit nascendi, aut, quibus viri sumus vel mulieres. Quarum partium voluptates Temperantia sic gubernat, non ut naturalem & necessarium usum, sed adscititium cohibeat ab usum, quippe quò peccatur.

VI.

Est autem & hoc loco duplex à Virtute exorbitantia. Aut enim in excessu ea contingit, & intemperantia dicitur; aut in defectu, quam à νεικη & ἡσυχία s. stupiditatem nominare licet. Illa est, quae citra delectum quævis voluptates, nullâ habita ratione honestatis, expetuntur: Hæc, quae quis omnes, etiam honestas atq; licitas voluptates aspernatur. Atq; hoc vitium illud est, de quo Cicero in Orat. pro Cael. Si quem fortè, ait, inveneritis, qui aspernetur oculis pulchritudinem rerum, qui non odore, non tactu, non sapore capiatur, excludat auribus omnem suavitatem, huic homini ego fortasse & pauci Deos propitios, pleriq; etiam iratos putabimus. Rarò enim inveniuntur, qui in hoc extremum incidant,

ut adeò Socrates jam suo tempore dicere sit solitus, eum, qui nullo earum rerum sensu afficeretur, vel deum vel stipitem esse. An verò Intemperantia turpius vitium sit Timiditate, si quis quærat, cum Aristotele ex Cap. ult. Lib. III. Eth. respondemus: primò, quod sit magis voluntarium, deinde, quod magis puerile; unde & Græcis ἀκολασία vocatur.

VII.

Expensis Virtutibus, quæ magis circa affectus versantur, succedunt, quæ maximè circa actiones. Circa pecunias enim sunt Liberalitas & Magnificentia; circa honores Magnanimitas & Modestia: quæ quatuor dicuntur occupata esse circa ea, quæ existimantur bona externa. Virtus autem circa ea, quæ existimantur mala externa, est mansuetudo: quam excipiunt Virtutes circa communem conversationem, & deniq; Justitia. De quibus singulis Arist. Libb. IV. & V. Eth. videndus. Liberalitas autem & Magnificentia, de quibus IV. Eth. I. ante cæteras agit, an specie, an gradu tantum differant? meritò quæritur. Affirmat vulgus Moralistarum, quod utriusq; objectum non nisi gradu magni & parvi discrepet: uti enim illa circa pecunias modicas, ita hæc circa magnas occupatur. At non ex solo objecto hic peitur differentia; adest etiam diversitas Subjecti. Nam Liberalitas cadit in quemcumq; Civem & quomodocumq; divitem; Magnificentia autem non nisi in valde opulentum, eumq; clarum & illustrem, vel saltem honoratum; qualis est Magistratus, usq; vel summus vel subordinatus. Adest deniq; diversitas finis. Habet enim & hoc præ Liberalitate sibi peculiare Magnificentia, quod ingentes sumptus suos impendat in splendorem & salutem totius Civitatis, adeoq; bonum publicum per se respiciat, extruendo Tempia & Scholas, legando stipendia & Bibliothecas, fundando & dotando Ptochotrochia, Xenodochia, ergastula; erigendo turre, propugnacula, curias, fontes, statuas, pontes, armamentaria &c. Quæ autem & objecto, & subjecto, & fine differunt, an specie differre dubitabimus? Confer. Muretus Comm. in IV. Eth. II. & Valliferus Disp. Eth. IV. §. XVII.

VIII.

Hinc verò natura & constitutio utriusq; hujus virtutis facilius patet. Scilicet, Liberalitas est Virtus circa expensas minores: modum

dum enim servat in dandis & accipiendis pecuniis, id est, omnibus iis, quorum estimationem numus metitur. Quia tamen dare difficilius est & praestantius, quàm accipere, hinc Liberalitas, utut & in dando, & in accipiendo, in illo tamen magis quàm in hoc consistit. Et in dando quidem ita se geret Liberalis, ut & honestatis gratia atq; hilariter hoc faciat; & quibus, nempe dignis; quòq; tempore ac modo; & quantum oportet: in accipiendo, ne accipiat unde haud decet, sed de suis maxime bonis, nec cupide poscat aliena. Conf. Arist. IV. Eth. 1. & Acciajol. in h. l. Opponitur enim Liberalitati in excessu Prodigalitas, in defectu Illiberalitas. Illa dando excedit, accipiendo autem deficit, sed in parvis tamen: Hac in iisdem accipiendò excedit, dando autem deficit. Quarum hac illà deterior: nam & insanabilior, & nemini, ne sibi quidem utilis, imò maximè sordida; cum prodigalitas animum arguat generosiorē & liberalitati prior sit.

IX.

Magnificencia autem est Virtus circa sumptus majores. Cum enim Liberalitatis sit etiam numum ipsum largiri, illa hanc magnitudine excellit, & est in rebus amplis & magnis. In his ut Magnificus decorè se gerat, semper respiciat necesse est, & ad se ipsum, & ad res, in quas sumptus impendit, & ad ipsos sumptus. Ad se ipsum: ut sumptus faciat prudenter, ut honestatis gratià, ut cum voluptate; ad res: ut sin dignè, adeoq; præclarissimè, eaq; vel publicè, de quibus jam S. VII. actum, vel privatè tales, quæ ad ipsum Magnificum & familiam ejus pertinent: ut aedes, horti, prædia, agri, vasa aurea & argentea, donaria magna &c. deniq; ut sint diuturnæ; ad sumptus: ut copiosè faciat & absq; ulla parsimonia, adeoq; cogitet potius, quomodo opus quàm pulcherrimum & maximè decorum, quam quanto sumptu fieri possit. Nam subtilius rationem subducere, & minimum ad calculum revocare, hominis non est magnifici, sed sordià.

X.

Cavebit tamen etiam insanam & ineptam profusionem, ne Luxus arguatur, adeoq; in alterum extremum incidat. Uti enim sordities est, cum in defectu faciendorum sumptuum peccatur; dum scilicet in res magnas justo minor sumptus impenditur: ita Luxus est, cum modus in sumptu faciendo exceditur; dum in res parvas, aut nullius etiam momenti profusiones fiunt, opum tantum ostentandarum gratià. Verum enim verò, etsi hi habitus sint vitia, cum aliquo tamen opprobrio aut turpitudine admodum conjuncta esse vix solent; quod neq; noxii proximo, neq; valde indecori sint. Conf. Arist. Lib. IV. Eth. Cap. II.